



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fuldensivm Antiquitatvm Libri III.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Capvt I. Bvchoniæ & Fuldensis ditionis origo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

FULDENSIVM¹ ANTIQUITATVM

LIBRI I.

CAPVT I.

Buchonia & Fuldensis dittonis origo.



QVOD olim, diuino consilio, in Romani nominis prouincias immixtis concitatisque Barbaris euēnit, vt feritate exutâ, mansuetactæ iam pridem gentis disciplinam moresq. condiscerent; idem quoque posterâ ætate accidisse cernimus, vt Barbarorum in Barbaros imperia surgerent, quò Christi nomen, immanitate vi-

Gentium migrationes seruunt fidei Christiana augenda.

ctâ, religioque longius iret, & subitis mox incrementis adulesceret. Sic Francis rerum in Thuringiâ dominis esse licuit, quò id loci populis salute supernè datâ, rectius esset, iam Francis victoribus, quàm sub Barbaris regibus extitisset.

Gregor. Turon. histor. Francorum, lib. 3, c. 7.

Obscurum in Thuringiæ Franciæque confinio, & horridum iacebat nemus, quod longissimæ ætatis Francorum populis, licet haud ignotum, serò tamen regnantibus Caroli Martelli liberis, aliquatenus ad famam enituit. Huic Thuringia nuper deuicta, faciles aditus; Saxonia malè pacata, frequentiam conciliabat. Buchoniam saltui nomen indidère maiores: Bocaunam, Buchoniæ siluam, solitudinem, similiq. varietate, vetustiores appellauère. Nam spontè plurima fagus hîc enascens, effecit, vt ab hac arbore vocabulû nemori veniret. Cecinit id Candidus, prisca & nascentis monasterij nobilis scriptor: qui vitam B. Ægilis, tertij hîc Abbatis, versu prosaq. sic exorditur:

Buchonia saltus, vulgo Buchen.

A fago nomen habet, qua Teuton. Buchen.

M. S. Fulden.

*Hic iuuenis Noricâ quondam regione serendâ
Nobilis exoritur. illic haud longa moratus*

A

Tempora,

Broueri
Antiquitate
Fuldenses.
STV
9

*Tempora, progenies patriis euectus ab oris
Ducitur in siluam, Fagi de nomine dictam
Buchoniam, vndisonus serpens vbi labitur amnis
Fulda: vnde iste locus, vbi nunc ingentia cernis
Mœnia, primâ olim nomen ab origine sum sit.*

*Fuldensis
monasterij
amplitudo.*

*Fachium.
Bocauna.*

*Ecclesiis &
monasteriis
frequens.*

*Fulda riuus
nomen dat
monasterio.*

*Epistol. 10.
& 40.
Solitudo Bu-
chonia variè
uocata.*

Nil potuit luculentius: eique seruit Fagorum superstes oppi-
dum ad Werram amnem, quod Hassiacæ domui oppignora-
tum, inflexâ voce Fachium adhuc appellitant. Bocaunæ verò
testem iam quoque laudo S. Ludtgerum, Monasteriensis eccle-
siæ primum Episcopum: qui in S. Gregorij Ultraiectensis An-
tistitis magistri sui vitâ, *Sturmi venerabilis*, inquit, *Abbas vnus
ex numero illo electorum Dei, puta, qui ex S. Bonifacij disciplinâ pro-
fecti, quantum profecerit in eremo, Bocauna silua in testimonio est, quæ
prius omnimodis inculta erat, ac desertum. nunc autem ab Oriente
vsq. ad Occidentem, à Septentrione vsque ad Meridiem, ecclesiis Dei
& electis palmitibus monachorum impleuerunt.* At Buchoniæ no-
men ab antiquissimis acceptum, quantum est, retinuit posteri-
tas. Vsurpauit, vt in carmine, sic in sermone vitæ, quem citavi,
Candidus: *Monasterium in siluâ Buchonia constitutum, secus ri-
pam fluminis Fulde; ob cuius vicinitatem, hoc Monasterium, vsti-
to nomine Fulda nuncupatur; vbi martyr Christi Bonifacius, sacro
corpore requiescit.* Nec abit aliò Rudolphus, Fuldenis mona-
sterij & presbyter, & historiographus; qui, vt diutiùs lateret,
sanè non meruerat. Et commendant vocis vsum, quotquot ab
incunabulis huius loci in seram ætatem, Breuiaria Annalium,
quâ Francigenæ, quâ Germani scripsere. Minùs expressit si-
gnatè, sed amicum tamen ostendens liberalibus disciplinis, &
habitatam sibi, Lupus monasterij Ferrariæ in Galliis Abbas,
Rhabani quondam discipulus. Hic ad Aluinum Senonen-
sem monachum, & alibi, *Saltum Germania* vocat. Ipse verò
S. Bonifacius, epistolâ ad Zachariam Pontificem, *locum Silua-
ticum in eremo, vastissimæ solitudinis.* Verùm Pontificum Re-
gumque primæuæ tabulæ nimio opere nemus hoc extollunt. *Bu-
chonia vastam solitudinem Zacharias Papa, & Magnus Carolus,
Pipinus pater, Solitudinem Buchonia nuncupat.* Exordio diplo-
matis S. Bonifacio dati: *Pipinus rex Francorum, vir illustris, Bo-
nifacio Archiepiscopo, & legato Germania, ab Apostolicâ Sede de-
lecto.*

lecto. Quia veneranda paternitas tua nostram excellentiam postulavit, pro monasterio, quod à te nouiter constructum est in solitudine Buchonia, iuxta flumen Fulda; in loco, quem beata memoria Carolomanus legitimâ donatione tibi concessit. Suffragantur Pontifices: & præcipuè Stephanus in diplomate, quo locum Sedi Romanæ subiicit; iuxtaque Dicecesanorum legibus exceptum, sancit.

At non antiquior tibi Buchoniæ, ais, perueris origo? scio ^{Buchonia remotior antiquitas.} ex Taciti Annalibus, & Romanis castris, præliis, expeditionibus, antiquitatem huc laudemque peti; sed, vt latebrosa hæc cuncta excutiant, inuentisque suis otiosi homines indulgeant, per me semper iis licebit: ego limites æui cogniti, & tritam eruditæ orbitam, non excessero. Quod si sua Claudio Ptolomæo toposia certa constaret; & prisca locorum symbola tanto flexu non euariassent; facilius quidem in publicum, geographicas suas coniecturas, scriptores nonnulli probarent. At res ea iam secus habet; cum illius etiam, qui hac in arte æuo nostro familiam duxit, sententiâ, ne decima quidem locorum pars apud Ptolomæum, germano suo situ, veraque regione certò describatur. Alioquin Romanis Buchonici nemoris extrema & peruia loca haud incomperta fuisse, ex præliis, quæ cum Arminio & Cattorum gente conseruere, non profus obscurum esse potest. Tacito quidem auctore, cum anno V. C. ^{Annal. lib. r.} D C C L X I I I. Germanicus Cæsar in Catos irrupit, primò ^{Taurus mons an Taurus, ubi} Castellum super vestigia paterni præsidij in monte Tauno posuit. Hinc munitis viis & fluminibus, rapuit exercitum in penetralia Cattorum, quibus adèd improuisus aduenit, vt, quod imbecillum ætate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit; inuentus flumen Adranam nando transmiserit. Hic Taurus, vel, vt alij malint, Taurus ^{Tacit. Lipsij Annal. r. & 12. B. Rhenanus Ortelij Geograph.} mons, occurrit; cuius situm, etsi veteres non præfiniunt accuratè, Hassorum tamen recentiores, in Cattimelibocis ostendunt, seu in inferiore comitatu *Catzenellebogensium*; quo loco nemorosis in iugis Caroli Magni ætate Einrichiæ pagus, seu Henrichiæ dictus saltus, se latè diffundebat, & Francofurtum etiam adibat. Obuersus igitur mons hic præfidiis & statiuis Romanorum, quæ in Germaniæ citerioris limite vigilabant. In eo Drusus castellum habuit, quod potuit faciliè, contrà Mogontiæ obiacentibus legionum præfidiis. Atque vt propius ^{Drusi castellum in Tauno.}

Broueri
Antiquitate
Fuldenses.

STV

9

Adranas flu.
Edera.

Fulde auxi-
liaris.

* Phagorum
fortè nomen
posuit Pro-
lom.
Drusi tro-
phæa Prolom-
mao quæ?

Situs oppidi
Fagorum.
Φαγος & Φά-
γηα Eusta-
thio sagù
consiis loca.

S. Bonifacij
mansiones.

VVinefriden
oppidum à
S. Bonifacio,
qui VVinfrid-
us: alij com-
miniscuntur
sonare VVan-
frid, quando
pax?
Borsia ma-
gna & par-
ua.

Buriburgum,
ex H. ssa &
Fuldens. ec-
cles. Chroni-
cù.

accedam, flumen Adranam, quod Tacitus appellat, Edera iam est, quæ Fuldæ cognata, ipsius transfusione, Visurgin subit, vbi priùs tamen Fritillaria & Feldtbergo salutatis, se Fulde miscuit. Ex quorum certè locorum affinitate, etsi non conspicuæ veritatis argumenta, multas tamen probæ notæ coniecturas ducere liceat, Romanos hoc noscitasse solum. Vnde nec spreuerim vt leues, aut damnauerim vt imperitos, qui ex Ptolomæi vestigiis, montium fluminumq. respectu, incolis Buchoniæ* Pheugarum nomen attribuunt; quiq. ad caput Visurgis, vbi Fulda & Werra cornua minuunt, Drusi trophæa collocant. Etenim quod dixi, Fagorum oppidum huius ditionis non obscurum, Ptolomæi Φαγος, aut quod huic affine, Φαγὴν commodè refert; cuius collocatio ab Appiano & Irenico, licet ad vltiora Halberstædium vsque traiciatur, situ tamen & dimensione locorum vsquequaque non compertis, antetulerim equidem recentiorem chorographiam, qui supra Trophæa Drusi, Pheugarum ad Meridiem, describunt, vbi Werra Visurgin appetit, & apud Fagium oppidum ponte transitur. Verùm longè clariora sancti Bonifacij trophæa tenemus, quæ cælestes ipsi victoriæ, quàm quæ Druso infames cladibus aquilæ, pepererunt. Monstramus illa Thuringiam versus, apud Werram amnem; & in Mattiacis Cattisq. intra Fuldæ ac Adranæ mesopotamiam. In Werræ vltiore ripâ, VVinefridi, sic prisca nominarunt, oppidum est, vbi traditur S. Bonifacius plerumque domicilium habuisse, antequam Moguntiaci capta sedes. Hinc in eiusdem amnis tractu, Brustlohsum maius minusq. Illud antiquissima ecclesia S. Bonifacij memoriâ celebre, Fuldensi monasterio olim paruit, hodieq. illic sacerdotia confert Abbas Fuldensis, etsi parum secundo religionis cursu. Et, vt notiora aliisq. inuestigata præteream; apud Ederam Fritillaria ciuitas, solo fructifero planoq. conspicitur. Hic Bonifacij studio ductuq. sanctus VVigbertus, Albuinus seu Vitta, Megingozus aliq. Apostolici viri, & Præsules egregij complures, adoleuere. Iuxta in excelsio monte, Buriburgum, vetus Episcopi Sedes stabat, cuius hodieq. ruinas illic monstrant. Obseruo posteriore item ætate, Buriburgi castellum, cum stirpe quæ infedit, illamet regione, apud Fridtziariam reponi. Ceterùm

VVig-

VVigbertus, tumultu Saxonico, hinc Buriburgum translatus, inde non magno itineris interuallò Hersfeldiam venit: quæ tunc ecclesia Herolfesfeldica regione, apud Fuldam amnem à Sturmio inchoata, & mox à Lullo suscepta fuit. Hinc inter Fuldam & Hunam amnes, sæpè sancta, sæpè à Bonifacio illustrata Michaëlis Archangeli memoria occurrit. Loco nomen est Michelsrumich. vbi, fama tenet, Sanctum, suarum precum & orationum habuisse stationem. Et Hora pagus, quò item oratum iit, & Episcopi mons, in quo resedit, & non procul inde fons, quo sitim leuauit, in conspectu ciuitatis cernuntur.

Lupus Sezuar. c. 13. & 24. S. Wigbertus. Hersfeldia.

Michelsrumich, al. Michelsrumich, statio & quies apud D. Michaëlis. Mons, fons, orationis locus.

CAPVT II.

Buchonia veteris situs & regio.

NOMEN, & quidquid eius relictum ex notitiâ priscâ, tenemus; regio quidni iam ipsa peruestigetur? Hanc Buchonia nouâ voce, ceu vmbonem describunt in orbiculari clypeo; & mediam, aiunt, iungere sibi à Septentrione Hassiam; à Meridie Franconiam; ab Occasu VVederaiam, & Hanouia comitatum; ab Oriente, Saxoniam & Thuringiam; ditone ac principatu vtiq; ab iis discriminatam. Sed antiquiora nos rimamur: & Francicâ Thuringicâque gente vtrimque circumiectâ, inquirimus; vtri horum adscribendi, Thuringis, an Francis, antiqui nemoris accolæ? Enimuerò, vt interioris saltus cultum omittam, serò forsan interlucati, extrema siluarum, & vallium riuorûmque opportuniore, finitimis in seffa, non tradam ambiguus. Et argumento sunt in S. Sturmî vitâ, tum Saxonum latibula & recessus; tum frequentes hominum conuentus, Francorum hîc imperio & legibus vicatim habiti, ritu pagorum veterum. Cuius generis passim in Germaniâ, Rheni Mosellæque tractu, olim *Gouuas* appellatas, siue *Γαΐαε*, id est, sola culta terrarum, nimium quàm notum est. Sanè hac regione locorum, inter prima, monasterio Fuldeni à rege Pipino donum obuenit, vicus Omeneftadius in pago Moinigouwe; ceu Mœni fluminis agrum dicerent. quippe Mœnum inuenias, veteri perpetuâ Reginonis & coætaneorum scripturâ, *Mohin*,

Buchonia, seu Buchonia situs.

Hanouia comitatus Hanorû; qui populi trans Rhenum celebres in Kirchana & Zigebrina, &c. famam retinent.

Pagi. Gouua.

Omenestade. Moinigouwe. M. S. Prumienli.

A 3

aut

Broweri
Antiquitate
Euidentes.

STV
9